

C A P U T Q U A R T U M.

De Sacramentorum existentia.

S. I. Instituti nostri ratio postulat, in exponendis circa Sacramentorum existentiam quæstiunculis, in quibus enucleandis Scholasticorum Theologorum variae sunt, discrepantesque sententiae, operam simul & tempus insumere. Ne igitur multis verbis pauca comprehendamus, sed paucis multa: asserimus primo, in statu naturæ innocentis nulla fuisse Sacra menta; num autem fuisse, si status ille perduisset, omnino incertum. Assertionis nostræ prior pars probatione non indiget; quod enim nec in Scripturis legitur, nec ex Traditione habetur, nec apud Patres invenitur, admissi a Theologo nullatenus debet; cum igitur ne verbum quidem sive in Scripturis, sive in Traditione, sive apud Patres de illa Sacramentorum existentia in statu innocentis naturæ inveniatur, jure nulla fuisse contendimus. Altera assertionis pars non minori pollet claritate & evidentiâ; possibilia enim in statu innocentiae fuisse Sacra menta quis neget? revera instituenda fuisse, si status ille permanentiam ac firmitatem habuisset, quis dixerit? eleganter Cicero. „ Quid tam temerarium, tamque indigneum sapientis gravitate atque constantia, quam quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, id sine ulla dubitatione defendere?

S. II. Quandoquidem vero non est voluntatis Divinæ mors impii, neque impiorum perditione delectatur bonus, misericors, & longanimitis Deus, qui, ut loquitur Scriptura, vult, omnes homines salvos fieri: jure meritoque asserimus secundo, in lege naturæ fuisse Sacramentum aliquod ad originale peccatum delendum, a Deo institutum: quod Doctor Augustinus lib. V. contra Julianum his verbis testatur „ Nec ideo tamen credendum est, ante datam circumcisio nem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat MEDIATORIS fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos